212
210
216
206
221
201
261
161
311
111

et totum vultum meum foetidissimo sputo defluente per barbam super cappam meam. Ad hanc autem contumeliam nihil aliud facere potui nec feci, nisi quod immunditiam abstersi et processi. Venimus ergo ad ecclesiam S. Michaelis Jacobitarum, et ibi reposito corpore in ejus medio et circum incensis candelis missam pro praesenti defuncto cantavimus juxta morem ordinis nostri, quia illi duo nostri fratres, capellanus scilicet Cataloniorum et Januensium, rem omnem ordinabant. Fateor, me sub hoc officio et in his exsequiis, timore, displicentia et quadam ira affectum, imo et gravi scrupulo functum pro eo, quod nostro dilectissimo defuncto non fuit undique provisum ut decuisset. Utinam ejus corpus hodie esset repositum in sepulchris suis paternis, vel fuisset commissum sacris undis maris, quod potius mallem, quam quod humatum est in ecclesia mihi plurimum suspecta et in specu abominabili, non quidem ex se, sed ex conditione inofficiantium ecclesiam illam. Verum est tamen, quod nulla oportunitate, nulla via alia potuimus providere defuncto nostro. Itaque missa terminata patefecimus specum, qui grandi lapide claudebatur, et nostrum pium defunctum intromisimus et sine superjectione terrae lapidem reposuimus. Sepulto defuncto solvimus ecclesiae illi sua jura, et dominus Bernhardus, dignissimus decanus, liberaliter omnibus pecunias dedit, et illo die pro tumulatione defuncti nostri ducatos exposuit non paucos. Sicque regressi simul domum cum moestitia prandium sumsimus. Peracto prandio incepimus nos celeriter disponere ad ingressum navium, et aliqui soluto hospite ex toto recesserunt ad mare amplius in civitatem non reversuri. Multa autem occulte deportavimus sub vestimentis ad naves, de quibus non modicum teloneum accepissent sub porta, ut balsamum et gemmas et alia parva pretiosa. Ego sub cappa plura deportavi mihi per nobiles credita, et ita, ut etiam visitatus non (b) fuerint penes me inventa. Quidam autem minus caute rem illam agentes fuerunt sub porta spoliati et coacti, pecunia redimere suas res. Quidam miles emerat gladium sarracenicum, quem deportans non bene occultaverat, quem videntes custodes portae sibi absolute receperunt nec eum restituere volebant, etiam data majori pecunia, quam valebat. Non enim quovis modo admittunt, ut arma deportentur ad naves, nec teloneum recipiunt de eis, sed totum rapiunt. Unde miles ille reingressus urbem Mamalucco cuidam

Ende
Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;